

ipfa etate, qua sum ipse systema cepit mente concoquere, anno nimirum 1700, in eodem illo Romano Collegio defenso fuerant Assertiones Theologicae ex 1. parte Divi Thomae, quas inter quatuor istae habebantur, Augustinianis, ac Thomisticis dogmatibus consentanea.

49. Praedestinati dicuntur ii, quos Deus ad aeternam beatitudinem elegit. Reliqui vero ideo a Theologis reprobari appellantur, quod ab ea electione exclusi sunt, & ad praenam aeternam ob peccata destinati.

50. Non sunt praedestinationis causa hominum merita, sed horum illa causa est. Condemnationis tamen causa sunt propria culpa, quae peccata. Ita in illorum salute Dei misericordia, in horum vero supplicio iustitia demonstratur.

51. Nec plures salvi erunt, quam praedestinati sunt (est enim electorum certus numerus) neque quicumque praedestinatorum ita Dei gratia tandem exciderit, ut aeternam salutem non assequatur.

52. Non quia aeterna est electorum praedestatio, ideo Sanctorum precibus, aut ipsorum praedestinatorum operibus juxta non potest. Ut enim non pendeat Dei voluntas a creaturis, illius certe executio per creaturas, ut proxime diximus, fieri solet.

Anno 1702, propugnata sunt in eodem Societatis Collegio Romano alicae Assertiones Theologicae ex publicis Lectionibus in Epistolam ad Ephesios &c. Hae Apostoli verba, ELEGIT NOS, ut essent sancti, sic ibi explicatur: Non quia sanctos futuros viderit, elegit nos Deus, sed, eius electio fecit, ut sancti essemus: & quantum gloriam bene meritis dat, tamen merita ipse in nobis, et non sine nobis, sua misericordia operatur, ut merito dixerit Augustinus, coronare Deum in nobis dona sua.

SORTE VOCATI. Sortem vocat vel Dei voluntatem, & misericordiam, nobis nullis nostris meritis subvententem; vel id significat, nos in sortem, id est, hereditatem a Deo accitos.

SECUNDUM MENSURAM DONATIONIS CHRISTI. Dat Deus hominibus gratiam quantum vult: quantum negandum non est, majorem eo quemque accipere, quo magis dispositus est. GRATIA SALVATI ESTIS, NON EX OPERIBUS. Non nostris meritis, sed Dei gratia justificamur; quantum non sine nostra cooperatione. Adjuv enim Dei gratia ad iustitiam nos disponimus, eamque cum suscipimus, non nihil agimus.

Ex quibus Assertionibus exploratum habetur, non paucos Societatis Theologos addictissimos tunc temporis fuisse doctrinae Augustino-Thomisticae, cui post Molinam nuntium omnes fere remiserunt.

Quandoquidem autem ad antiquiora Ludovici Molinae tempora diverit oratio, praeterire hoc loco nefas arbitror Alphonsum Salmeronem, & primum S. Ignatii socium unum; qui licet obliquas oppugnandi Calvinismi vias in Concilio Tridentino inisset primum; (1) paternis attamen monitis abductus, & frequentibus venerabilium Patrum Collationibus doctus factus, ea demum in editis lucubrationibus fundamenta posuit, quae uti Calvinianam haeresein resera petunt, ita & orturum Molinismum in antecessum occuparunt. De praesentia etiam sermonem habens ex instituto, Disput. 1. praesumari in Epistolam ad Hebraeos duplicem ductam in Deo scientiam agnoscit;

unam nimirum simplicis intelligentiae, ut schola vocat, quam & is idealem interdum appellat; alteram visionis, media quacunq; procul ablegata: Quin & ea ipsa futura libera, conditione suspensa, quae intemosem Scientiam-Mediam Deo necessariam commentus est Ludovicus Molina, a Deo sciri decernit scientia visionis, si posita demum conditione, recipia contingant; aut scientia simplicis intelligentiae, si, remota conditione, non accidant: ut omnis plane Scientia-Mediae locus vacet.

Scientia simplicis intelligentiae ad primam idealem reducitur, qua non tantum videt credibilia cuncta, quae credida, sed etiam possibilis omnia, quae condere potuisse, si voluisset, non autem condidit. Quando ergo B. Thomas docet, futurum contingens, ut contingens est, nulli subiicere cognitioni aut Angelis, aut etiam Dei spiritus, intelligendus est, loqui de scientia illa visionis, quae ab aeterno res omnes, ut in se sunt, praevideat; nam tali cognitione Deus non attingit futurum contingens nec in causis, quas non habet, quia contingens est, nec in seipsis, quia nullo tempore sunt sibi futura, sed sibi praesentia. Quod si aliquando Scripturae dicant, eum praevideat, quae nec certis causis habent, nec in seipsis sunt futura, ut ibi, Reptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animi filius: (2) & cum dicit David: Si tradidit me viri Caeli, & viros, qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit ei Dominus: Tradat: (3) ac rursus Matthaei 11. Si in Tyro, & Sidone facte essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in alitico, & cinere poenitentiam egissent: & cum ad Apostolum dicit: An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? (4) Videtur ergo Deus futurum contingens sub ratione futuri vidisse in libero arbitrio. Dicendum est, haec, & quae sunt huiusmodi, in illa scientia visionis non vidisse, quia visibilia non est in seipso, quod nec in se, nec in causa est, nec sua, nec futurum est, sed alia scientia, nimirum idealis, non qua res vidit, ut conderat, sed ut possibiliter a se condit, in quibus habebant certas causas, ut aliquo tempore existerent. Nec enim tantum Deus vidit ea, quae nunc sunt, omnia, sed etiam omnia, quae aliter evenire potuissent, & quae ex illis consequerentur. Quae vero assertio se videtur, ad futura, quae tamen res ipsam exhiberent in rerum natura, ut in praedictis exemplis manifestum est relinquit, non videt scientia visionis, sed tantum scientia simplicis intelligentiae, quae pars est visionis idealis.

Quin & ea subiungit vir eruditus, quae facile suspicet, eum jam jam Molinam, caeteroque Angelice doctrinae Ofores inaudivisse, novi systematis femina privatis in scholis sublimiter facientes, eosdemque de industria consultasse, ne conceptos ignes late disflunderent. Haec latius, inquit, prosecutus sum, quia video, quosdam implicari, nec facile modum assequi, quomodo Deus videt futura contingentia, quae nunquam futura sunt: & propterea putant doctrinam B. Thomae falsam, quod dixit, futura contingentia, ut futura sunt, a nullo cognitione vel hominis, vel Angelis, vel Dei ipsius attingi: quia est sermo de scientia visionis, non de scientia idealis.

Nihil minus eliquate alterum Moliniana Concordiae systema petit Alphonfus Salmero Disp. 21. in Cap. 8. Epistolae ad Romanos; ubi Praedestinationem omnino gratitatem multis adstruit, omnemque praesentiam, boni usus gratiam exploratricem, eliminat, tanquam Deo proflus indignam;

gnam, & sacri mysterii dignitatem, & viam omnino constituentem: Ut hinc noveris, quam merito in Inhibitionem Pastoralis observaverit Eruditissimus Rhemenfium Archiepiscopus, Societatem eo dogmate, veluti primo nutricis lacte, potatam esse, eodemque a primis Institutum Magistris informatam, priusquam nova Molinae commenta plenius eberet. Quidam, inquit Salmero, peregrinam sententiam exponens, ad vitandam Pelagianam invidiam, asserunt, Deum velle ex se, dare gratiam omnibus, unde & illam cunctis ex se offert: & quia vidit, qui eam recepturi, & ea bene usuri essent, ideo istis statim conferre gratiam, & vitam aeternam; caeteris autem non ita. Nec ex hoc sequitur, quod gratia detur ex meritis, quasi Deus, praevideos opera, acceptaverit illa, tanquam digna gratia, sed accipiuntur ut causa sine qua non. Exempli gratia, Rex arma, & coronam donat ex liberalitate sua; ex prudentia tamen ea non vult dare nisi illis, quos novit, armis esse bene usus. Molinianus audire hic mihi video, idem omnino statuente, atque illa ipsa exemplaria ad institutum usurpante. Quibus e vestigio os ita verberat Salmero: Sed hoc falsum est, & multis rationibus perimitur. Quia juxta hunc loquendum modum, gratia non esset Praedestinationis effectus, sed potius causa. Non enim praedestinator quis, nisi gratia bene usus praevideatur: at hoc sequitur gratiae collationem. Nec enim videri potest bonus usus gratiae futurus, si in potestate ejus fuerit male uti; nisi ponamus ante Dei conspectum, quod vere accepit gratiam, & quod perseveranter ea bene usus fuerit: a quoniam futurum contingens secundum D. Thomam a Deo non praevideatur ut futurum, sed ut praesens. Si ergo Praedestinato requirit boni usus gratiae praevisionem, & haec divina praevisione boni usus gratiae requirit collationem gratiae; aperte inseritur, quod collatio gratiae, non esset effectus Praedestinationis: quod est perplexum, & contra vim ipsius vocis, Praedestinato. Nam si in Dei praesentia collatio gratiae praecedat bonum usum ejus; quomodo ergo quod est posterius, potest esse causa, aut ratio prioris? Ubi vero momentis bene multis institutum illud executus est Salmero, ita demum colligit: Inseritur ergo, Praedestinationis certitudinem non ab operum bonorum praesentia, sed a benigna Dei providentia proficisci. Nec ideo quia quis praesentur salvandus, sed contra, quia praedestinator salvandus; ideo praesentur eum salvandum sub ratione futuri, & non sicut in contingentibus. Ideo in Praedestinatione continetur certitudo salutis; & in ea certitudo conferendae gratiae, & boni usus gratiae, & meritorum, & perseverantiae in finem. Repugnat enim Divinae sapientiae, certo aliquid in finem ordinare, & non ad certa, & proventoria in finem media. Quo Salmeronis iudicio Molinismus in antecessum attonsus est.

CAPUT XIX.

Molinam, ejusque recens inducta Paradoxa, pari zelo exagitant Galli & Societate Professores, uti antiquae Patrum Traditioni, maxime vero D. Augustino injuria.

Hispanis, & Italis Molinianae Doctrinae Oppugnatibus accinunt Galli; atque ii maxime, quos in Patrum lectione versatissimos fuisse, notum est. Prodit primus in ordine Claudius Typhanus, anno 1593. Societatem ingressus; quo tempore a praelo recens Moliniae Concordia vulgabatur: Vir morum sanctimonia, & litterarum cultu spectatissimus; Philosophiae, ac Theologiae Professor emeritus; Academiae Mussipontanae Cancellarius; Collegiorum Rhemenfis, Mussi-

pontani, Metensis, Flexiensis Rector; ac demum Provinciae Campaniae Moderator: Mississimi ingenii vir, ut loquitur Alegambe in Bibliotheca, & sedatis admodum moribus. Is libro de Ordine, deque Priori, & Posteriori, quem, quo tempora summam in Campania apud suos Praefecturam obibat, typis edidit, Scientiam-Mediam, Moliniana doctrinae Caput, unde caetera pene omnia derivantur, fufius exagitat, tamquam Scripturis, ac Patribus repugnantem; ac velut abortivum novissimae fecturae partum exufflat; ejusque parentem multo sale defricat. Pauca haec ex erudita Lucubratione desloramus.

Capite 24. discrete proficitur, Nullum alium Theologum ante Molinam, ne per somnium quidem, de Scientia-Media cogitasse; nec illum ullibi vel supposuisse, vel adhibuisse ad ullam sive Scripturae Sacrae, sive Theologiae Scholasticae difficultatem expediendam. Tum sub initium Capitulis distincte pronunciat, Sententiam negantem Scientiam-Mediam, & antiquitate, & defensorum numero, ac auctoritate longe esse meliorem. Subinde Capite 26. post relata Molinae verba, quae triplicem scientiam in Deo distinguendam decernit, nisi periculose in concilianda libertate Arbitrii cum Divina praesentia hallucinari velimus, hoc illis nigrum theta praefigit: In qua Molinae doctrina multa occurrunt improbanda. Ac primum id periculi in concilianda sine ejus distinctione nostra libertate cum praesentia divina, quo minus cautos, minusque intelligentes terrere se putat, non ego solus non video, sed neque ulli ante eum Doctores Scholastici, aut Sancti Patres animadvertunt. Quasi vero Dei cum causis sine liberis, sive necessariis agendi modus ex nostra mente nostrisque cogitandi, & distinguendi modis pendeat! Nam voluntas creata in eo statu, in quo Scientia-Media videri dicitur, ideo est libera, quia in eo, si vellet, re ipsa posset facere oppositum ejus, quod pro imata sua libertate factura dicitur; cum in eo etiam factus, in quo per Scientiam visionis viderit, pro sua eadem libertate possit etiam, si velit, non facere, quod facit, vel oppositum facere: quidni sine addita, vel cogitata ulla Scientia-Media, aut alia conditione posita, vere, & perfecte fuerit libera? Ac tandem Capite 41. Num. 3. Molinae audaciam, qua se caeteris Theologis feliciter pervidisse, atque expeditissimum Concordiae modum excogitasse gloriabatur, retundit, statuitque, Concordiam praesentiae, providentiae, & concursus Divini cum nostra libertate ab antiquis, & praestantissimis Theologis longe melius, solidiusque declarari, quam ab ullis recentioribus.

Accedit Joannes Phelippæus, altero post Typhanium anno Societatem professus: vir, ut inquit Philippus Alegambe in Bibliotheca, reconditior doctrina, in Sanctorum Patrum, & Conciliarum lectione admodum versatus; Rorbomagensis Collegii Rector. Annum ille vigesimum quintum dumtaxat agebat, dum coram Clemente VIII. Molinae causa tractabatur: atque idcirco junior erat, quam ut Principibus permixtus Achivis, intimis Societatis consiliis admoveretur, qui de nova tentata lite sententiam diceret, fusoque ab instituto dehortaretur. Verum annis, ac litteris auctus, quid de novo invento sentiret, in suis ad Oseam Commentariis adeo luculenter expressit, ut nemini dubium esse possit, Molinam ab Societatis Scholis eliminandum, si penes Phelippæum iudicium stetit. Liqueat id maxime ex ejus ad Caput secundum Commentatione, ad Versus scilicet 14. 15. 16. & 17. ubi gratitatem Praedestinationem, & ingentiam Divinae Gratiae efficaciam multis adstruit argumentis: tum varios explicandae efficaciae modos exponit. Quo officio feliciter exfo-

(1) Supra lib. 1. cap. 1. (2) Sup. 4. (3) Reg. 23. (4) Matth. 26.

exsolutus, ita in Scientiam-Mediam, & excogitatum a Ludovico Molina exponenda efficaciam modum, stylum acuit, §. 11. Non in clausi, inquit, in modis illis Gratiæ efficacis aut statuende, aut declarande, scientiam conditionatam, quam post Molinam Theologi bene multi incluserunt. Fulgentius eadem proxime ratione illam rejecit, qua libro De veritate Prædestinationis, & Gratiæ agens contra illos, qui asserbant, Deum ideo Parvulis quidem aliis, ante rationis usum morituris, de Baptismo providisse, quod prævidisset, si viverent, futuros bonos: aliis non providisse, quod prævidisset, si vixissent, male victuros: quod est futurum conditionatum; Capite 7. ita scribit: „Secundum rectam itaque Fidem, ac perspicuam veritatem, quod attinet ad parvulum, qui sine beneficio secundæ Nativitatis huic vitæ subtrahitur; sicut prævidisset fatendum est Dominum parvuli futuram mortem, quæ vere futura erat; sic absurdè dicitur, Dominum prævidisse futura peccata, quæ futura non erat; Neque enim Dominus, rerum omnium conditor, facienda prævidisset, quæ facienda non essent, &c. „Quod probare pergit ex cognitione rerum, quas Deus præsentibus habet in æternitate, seu future nobis ille sine, seu nobis fuerint præterita, Deo uni præsentibus: Cum in ea æternitate, quæ facienda, aut futura non sunt, nullam habeant præsentiam; qualia sunt futura conditionata, vere non futura. . . Quin etiam Augustinus Libro de Prædestinatione Sanctorum scripsit, ut Epistolæ duabus Prosperi, & Hilarii faceret satis. In illa autem, quæ Prosperi est, de reliquis Pelagianæ Hæreses, refertur quorundam Massiliensium de Infantibus opinio eadem, quam Fulgentius consuebat: „Tales ajunt perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam fervarent ætatem, scientia Divina prævidere. „Quod pariter refellit Prosper, eadem usus ratione, quæ Fulgentius: quasi futura hujusmodi conditionata nulla sint; nec proinde scientia, seu præscientia conditionata: „Sed in tantum quibuscumque commentitiis meritis electionem Dei subiciunt, ut quia præterita non extant, futura quæ non sunt, futura contingant, novoque apud illos absurditatis generæ, & non agenda præcisa sint, & præcisa non acta sint. „A cum Augustinus Capite 12. sequentibus Libri illius De Prædestinatione, variis rationibus istam opinionem delationis, & falsi arguat; tum ista quoque, quod nulla sit in Deo futurorum conditionatorum præscientia: Capite 14. Hæc est tota causa, cur dictum est, a quocumque sit dictum, Sapient. 4. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus: Dictum est enim secundum pericula vitæ hujus, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præcivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat: id est, quod ei mortem fuerat largiturus, ut tentationum subtraheret incerto: non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset. De hac quippe vita legitur in Libro Job, secundum septuaginta, Numquid non tentatio est vita hominis super terram? Quibus omnibus prolixè deductis, subjungit Phelippæus: Quæ non assero, ut negem futura conditionata, aut scientiam illam Dei, quæ a Recentioribus conditionata, aut Media appellatur, quam & adstruxi hoc ipso Capite 2. ad verbum 3. ne forte expollem eam nudam: sed ut declarem, res illos gravissimos Patres, qui præ cæteris omnibus doctissime, & subtilissime de Gratiæ disputarunt, longissime ab hisse ad eo Gratiæ efficacis sensu, qui per Scientiam-Mediam, & conditionatam, rationem reddidit efficacitatis, quæ est in Gratiæ cum Libero Ar-

bitrio coherentis: cum illam ipsam scientiam, & futura conditionata respiciunt. Huc utque Vir eruditus. An Augustini, Prosperi, & Fulgentii mentem attigerit, nil moror hic: mihi quidem non attigisse, certum est; sed in extremum plane abisse, nimio prolioganda Scientia-Media desiderio. Cum enim hoc unum demonstrandum illi esset, Deum futura libera, conditione suspensa, quæ nusquam re ipsa contingent, Scientia-Media lumine nosse non posse; venerandis Capitibus asserunt, quod omnem profus futurorum illorum notitiam Deo eriperent, qui tamen absolutam duntaxat negarunt, ex qua sola id posse fieri, quod Deum ex illa præscientia facere, Pelagianii fabulabantur. Ii quippe, a se ipsis turpiter diffidentes, cum præscientiam illam verbo tunc conditionatam facerent, re tamen, & usu absolutam esse, monstrabant: cum & ob eas culpas, quæ nunquam essent future, reos Infantes constituerent; & ob easdem illos presente multari pena dicerent: quasi non & verum esse crimen oporteat, cui supplicium decernatur; & admissum ante, quod re ipsa plectatur. Hoc igitur unum inficiati sunt Pelagianæ sectæ Debellatores, locis a Phelippæo ad crismam vocatis; Deum futura hæc ita nosse, ut illorum ad penas pueris indigentibus rationem habeat: scire tamen aliter, non negarunt. Sed hæc ipsa falsi Interpretis aberratio alienum ejus ab Scientia-Media animum magis prodiit; quod unum in præsentia postulamus.

Pergit Phelippæus. Institutum efficacissima ratione exsequitur toto Paragrapho duodecimo, & Scientiam-Mediam explicando efficacis Gratiæ mysterio inutilem probat, gravissimisque difficultatibus circumseptam. Secunda ratio, subjungit, quæ probatur, ad explicandam rationem Gratiæ efficacis male usurpari scientiam conditionatam, hæc est: Quia Deum per scientiam conditionatam videre hæc in hypothesi: Si dem huic homini hanc gratiam, cooperabitur; aut, Quis sit cooperaturus isti gratiæ; idem est ac videre, an hæc gratia sit efficax; cum aliud nihil sit efficax gratia, quam illa, cui homo cooperatur, in quocumque spectetur statu sive absoluto, sive conditionato: & eodem modo, & ordine bonus usus gratiæ conditionatus terminat scientiam conditionatam, quo bonus usus ejusdem gratiæ absolutus terminat scientiam visionis, seu absolutam; cum neque scientia conditionata sciatur illud sive objectum, sed æque supponat, ac scientia visionis: ita ut, si gratia efficax excitans, adducens efficaciter cooperationem, sit prior, sicut natura, tanquam causa, prior, inquam, cooperatio, & bono usu gratiæ in statu conditionato; erit etiam prior in statu absoluto: & in conditionato, si gratia efficax adducat consensum, quocumque modo adducat, adducet similiter in absoluto; quia quo ordine res se habent in statu conditionato, eadem se habent in absoluto; & vice versa: idque tum quoad objecta, tum quoad scientias. Ergo efficacia illa, quæ inest gratiæ in statu conditionato, æque explicari debet, & æque habet difficultates, undenam petenda sit, ac in statu absoluto. Porro notio efficacis hujus absoluti ab isto conditionato peti nequit; cum æqualis concursus Dei, & energia gratiæ æqualis in utroque requiratur. Quæ omnia multis exsequitur toto Paragrapho, & variis Sanctorum Patrum momentis confirmat.

Ac tandem Paragrapho decimo tertio, invidio plane argumento Molinæ somnium exagitat in huic modum. Ut scientia conditionata deserviat notioni Gratiæ efficacis, scilicet cognoscendo hoc futurum conditionatum, Si dederit huic homini talem gratiam, cooperabitur, oportet, ut futura conditionata sint priora futuris absolutis, verbi causa, cooperatio-

ne illa determinate futura: quod tamen verum non est; Quandoquidem nulla esse possunt futura conditionata, quin intelligatur prior voluntas Dei conditionata, quæ illa poneret. Proinde Patres, ante produgii, voluntatem conditionatam negassent, sine qua nec conditionatus ullus homo, ut sic loquar, nec opera ejus ulla conditionata concipi potuissent, eadem ratione, quæ negabant futura conditionata. „Futura enim ætatis, ait Fulgentius lib. 1. De veritate Prædestinationis, cap. 8. non absurde præscita dicuntur opera, vel bona, vel mala: absurde autem præscientia cujusquam humani operis in ætate asseritur, in qua futurus homo ipse non esse monstratur. Sicut autem non nisi concipiendorum exordia, ita non nisi victurorum hominum actualia recte dicimus Dominum præscisse peccata. Illorum igitur præscius operum recte dicitur Deus, quorum in consummatione non negatur subsecutus effectus: „Adeo ut, qui negant voluntatem conditionatam Dei, debeant etiam negare futura conditionata, quæ sine illa esse non possunt; & proinde negare scientiam conditionatam, cujus illa sunt objecta. Atqui voluntas conditionata Dei est posterior voluntate Dei absoluta; cum absoluta voluntas sit in actu, & illa ipsa, quæ vult; nec ultra fuerit actu in Deo voluntas, quæ actu statuerit concurrere ad productionem futurorum, postis his, vel illis conditionibus, quæ nunquam ponitur. Quod autem est actu in Deo, prius est illo, quod esset, si hæc, aut illa poneretur conditio. Unde & dicitur, voluntatem conditionatam Dei, quæ esset de productione illius futuri, cognosci a Deo tanquam in medio, in sua voluntate absoluta, quæ proinde prior est voluntate conditionata. Unde sic colligo: Nec futura conditionata, nec eorum scientia inservire potest intelligendæ Gratiæ efficacis, quatenus hæc pertinet ad futura absoluta, si & hæc priora sint conditionatis. At si voluntas absoluta Dei, quæ est voluntas futurorum determinatorum, sit prior voluntate conditionata, qualescumque tandem ea intelligatur, necesse est, ut futura conditionata sequantur naturam, & ordinem voluntatis conditionate: Nam sicut futura absoluta esse nequeunt sine prævio Dei consensu, a quo futura pendent; ita futura conditionata intelligi non possunt sine prævio Dei consensu, & decreto conditionis de concurrente; cum in omni ordine verum sit illud Prosperi quoad Gratiam & Dei concursum: „Si ergo in sanctitate vivitur, si in virtute proficitur, si in bonis studiis permanetur, manifestum Dei munus est, fine quo nullius boni operis fructus acquiritur. „Ita ille Responsione ad Objectionem 14. Vincentianam: Huc utque Phelippæus.

In eundem sensum venit Dionysius Petavius, indulgentis naturæ miraculum; cui parem in veteri memoria, Patrumque lætionis Societas semper optabit. Hunc ingens eruditio, totiusque retroactæ antiquitatis exulta notitia ab domesticæ Scholæ placitis abduxit; nulloque negotio deprehendit, quam longe Concillatis suos, Molinæ ad stipulatores, & ratio, & Patrum auctoritas fugerit. Quam interpretationem de gratuita Prædestinatione, fronte præferat Augustinus, in integro libro declaravit; intimos Sanctissimi Doctoris recessus pervasit, fibras dispunxit; nihilque intentatum reliquit, quo Thomistica Scholæ Doctrina comminiri posset, & illustrari.

Rem præsertim exsequitur Capite 6. Libri 6. Dogmatum Theologicorum Tomo 1. cui hunc titulum fecit, unde totius lucubrationis summam intelligas: Demonstratur ex Augustini sententia, electionem ad gloriam, sive Prædestinationem ex nullis prævisis meritis a Deo fieri, sed ex gratuita voluntate: ad idque octo ex ejusdem scriptis argumenta

petuntur. Tum ita integræ disputationi præiudicium numero 1., ut certos Canones præfigat, ad quos certa Ecclesiæ doctrina de Gratiæ, & Prædestinatione exigi debeat: Cum de Gratiæ, vel electione, ac Prædestinatione disputandum est, minor haberi solet antiquorum Patrum ratio, qui ante Pelagianam etiam hæresim existerunt, quam eorum, qui postea sunt secuti: Latinorum vero multo major, quam Græcorum, etiam hæresis illa posteriorum; propterea quod magis aliquando Latinam Ecclesiam, quam Orientalem exercuit hæresis Pelagiana, quæ us de rebus altercandi occasionem præbuit: sic ut Græci plerique intima Pelagianorum dogmata vel ignorarent funditus, vel minus accurate perspexerunt. Omnium vero Latinorum, quorum hæc in controversia majorem dixi auctoritatem esse, Princeps est consensus Theologorum Augustinus: cujus de Gratiæ sententiam, quatuor deinde consecuti sunt Patres, ac Doctores, tum vero Romane Ecclesiæ Præsules, Præsulumque Conventus, ratam, & Catholicam esse, judicaverunt; ut hoc satis magnum putarent veritatis argumentum, quod ab Augustino positum, ac decretum esse, constaret. Paucos duntaxat recentiores excipio, qui in electione potissimum ad gloriam, vel Prædestinationem pertractanda, ultra se ab Augustini opinione discessisse profitentur: ut præ cæteris Ambrosius Catharinus, ac nonnulli de Scholasticis Theologis fecerunt. Alii, ne tantum a se pondus auctoritatis abjudicarent, Augustinum quoquo modo trahere in partem suam conati sunt, & contra quam omnis retro antiquitas instituit, illius interpretati sententiam; quod inter alios aggressus est Gabriel Vafques.

Pergit Petavius Capite septimo in eadem probanda Augustini sententia, cujus ex scriptis alia quatuor argumenta profert, præsertim vero ex Perseverantiæ dono, quod ex dandæ salutis proposito tribuitur: tum ex Christi Prædestinatione, quæ Prædestinationis hominum typus est, & imago. Alia ex eodem momento congerit Capite octavo; quæ ostendit, Prædestinationis decretum ex nullis electorum meritis a Deo manasse. Tum Capitibus 13. 14. & 15. quæ a Molinianis in oppositum obrudi solent, cumulatissime diluit, illudque imprimis suffugium intercludit, quo Augustinum nusquam de electione gratuita ad eternam gloriam locum effutiunt, sed de ea duntaxat, quæ ad gratiam est, contra Pelagianos, eorumque reliquias contendit.

Ita plane doctissimus Petavius, cui Societas universa, tanquam litterarum Dictator, veneranda procumbere debuisse, Patrum, ac præsertim Augustini doctrinam ex ejus manibus exceptura. At contra res accidit. Petavio ab suis denunciatum est, ni novis tibi caneret, & Societate egrediumdum. Sic enim ille Abbati Marollo, quo familiariter utebatur, significavit; dum palinodiam, libro, qui proxime sequitur, decantatam exprobranti, festive reposuit: Senior sum, quam ut vasa colligam: se suis trop vireux pour démenager.

Non itaque Petavii genio tribuenda veniunt, quæ libro proxime sequenti, totus in sui diffinitionem compolitus, in Augustinum effudit, sed duræ obsequendi necessitati; ne videlicet proventa jam ætate vasa colligeret. Ecquis enim illum ea ex animo scripsisse putet, quæ toto passim Libro decimo continentur, non modo Augustino injuria, sed & jactis antea fundamentis omnino contraria? Quæ fuerit, inquit ille Cap. 1. Augustini de Prædestinatione sententia, hæc usque demonstravimus. Quæ est illa quidem hujusmodi, ut eam tuto Catholicis quisque possit amplecti; & est a multis hætenus deserta, atque etiam bodie summa cum doctrina, ac pietatis commendatione

defenditur. Sed si quis ita veri illam instituit, ut contrariam, tanquam falsam, ac Scripturis adversam, repudiandam, damnandamque censet, magis perire is errat, ac plurimorum, qui hanc antequam alteri, Theologorum consensione resellitur. Quin & toto subinde Libro probandum aggreditur, Augustinum Apostoli mentem minus feliciter attigisse, atque ab ea toto cœlo aberrasse. Quæ sane si vera sunt, consequens profecto erit, ut quotquot deinde consecuti sunt, Patres, atque Doctores, tum vero Romanæ Ecclesiæ Præsules, Præsulumque Conventus, quos Augustini sententiam amplexos Petavius dixerat loco jam a me appellato, ab Apostoli Doctrina procul abierint. In hæc illum concessit incommoda adversa fortunæ metus; ac ne cogere componere sarcinulas suas, omnia miscuit. At injuriam Viro doctissimo fecerit, qui veram ejus de Augustini sententia mentem, judiciumque ex ijs venari velit, quæ in sui dissimulationem compositus, necessitati fervens, scripto dedit; ac non potius ex illis, quæ sensu, & opinione liber, ex animo scripsit.

Plura addere facile fuerit, si propria huic nostro ævo consecrari velim, & propugnata non ita pridem, a Societatis Professoribus Theologicis Theses in indicem cogere; quæ perspicuum fieret, quam multis nova Molina commenta stomacho fuerint. Id mihi longe persuasum, quod Caramel in Theologia fundamentali suos monuit, probavitque exemplo. (1) Molina Sclatorum, licet propria dialecto utantur, interdum quoad rem sententiam Thomistarum defendunt. Anno 1654. in Universitate Viennensi P. Herwart Societatis Jesu, magni ingenii Doctor, defendit iterum, iterumque, esse possibilem qualitatem, quæ ex essentia sua physica, & reali insalubilitatem, illa libertate, induceret. Fuit disputatio celebris &c. At minutias illas dispungere non vacat, cum non Theologicam, sed historiam duntaxat superioris ævi traditionem habeam.

Non possum tamen silentio præterire propugnatas anno 1674. in Romano Societatis Collegio Theses, quibus vix ulla possint esse Augustiniani sensibus magis consentaneæ. Quam in his partem habuerint, quæ consilia, Societatis Moderatores, nescio: hoc scio, potuisse, illis Molina, Sociorumque principibus, Augustini doctrinam inter probabilia, vel etiam probabilissima Dogmata ab illis cæferri. Excerpta ex illis Thesibus subijcio.

Extractum ex Thesibus, publice propugnatis Romæ in Collegio Romano Societatis JESU ab Agapito Falgatio Anno 1674. Romæ Typis heredum Corbellotti. Superiorum permissu.

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ.

Ex COLUMNNA I. De Deo Trino, & uno.

§. 8. Prædeterminatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Prædeterminatio Adulterum, qui per propria merita super naturalia ad Beatitudinem perveniunt, est electio eorum ad gloriam, & coronam, & bravium legitime certantium: cum quo ita, quod eadem electio fiat a Deo ante prævisionem absolutam meritorum. Licet reprobatio positiva formalis damnatorum nec sit, nec esse possit ante prævisa demerita; non tamen negandum est, quod discrimen repro-

bi a prædeterminato etiam reprobis demerita præcedat.

Ex COLUMNNA. De Gratia,

§. 21. Omnes (gratiæ) conferuntur a Deo voluntate benevola, & benefica; immo a tali voluntate auxilia nobis collata denominantur formaliter Gratia. Auxilia præventiva consistunt in sanctis cogitationibus, seu illustrationibus intellectus, & piis affectionibus voluntatis, quas nobis, sine nobis moraliter, & libere concurrentibus, immittit Spiritus Sanctus, immediate, & physice movens, & præmovens voluntatem nostram ad actus bonos eliciendos, prout oportet ad salutem.

Ex §. 22. Ideoque in orationibus nostris non solum a Deo debemus petere, ut possimus ad ipsum converti, sed etiam ut ad se nostras etiam rebelles convertat voluntates; certi, quod si velit, omnipotentissime, & suavissime faciet.

Ex §. 23. Auxilia Divina Gratia præventiva non omnia sunt efficacia. Hoc certum est: Plurima enim sunt, quibus vitio voluntatis nostræ resistimus; alias interiori gratiæ nunquam resistitur; quod est hæreticum. Primum auxilium præveniens datur, ut velimus, & ut faciamus; non quia volumus, aut facimus.

Ex §. 24. Illud statuimus cum D. Augustino, & D. Thoma, auxilia efficacia a Deo conferri secundum efficaciam, & absolutum Dei Decretum, seu propositum salvandi hominem, aut ad se convertendi, aut faciendi illum Divinis vocationibus consentire. Hac Dei voluntas est gratia increata, prima simpliciter, & antecedens gratia, ab intrinseco efficax, per quam primo discernitur, quicumque bene operatur a non operante, & quicumque Deo consentit ab omni non consentiente. Admittimus ergo, de facto a Deo prædefiniri absolutum, & efficaciam Decreto simpliciter antecedenti omnem nostram bonam, & liberam operationem, aliquo modo conducentem ad salutem.

CAPUT XX.

Privata Molina causa communibus votis a Societate suscipitur adversus FF. Prædicatorum oppugnationes.

Redimus et diverticulo, in quod nos Domesticorum Molina oppugnationum concertatio deaverat, Iis igitur insuper habitis, quæ in nova meditata Concordia non paucis, nec ignobilibus Societatis Theologis stomacho fuere; accessit ad Molina causam, quinto post Opus typis editum anno, Societas ipsa; nec jam privati hominis incauta velitatio fuit, sed amplissimi Ordinis studiosa contentio. Hieronymi dictum, diversa licet occasione pronuntiatur, probarunt universi; De parvula, subdolaque Concordia magnam in mundo ortam esse discordiam. (2) Ita porro res accidit.

Regentis munus in Collegio S. Gregorii Vallisoleiani Ordinis Prædicatorum obibat R. P. Didacus Nunno anno 1594. legebatque de Infidelitate, ad decimam questionem Secundæ Secundæ S. Thomæ. Contigit, ut, data opportunitate, in nonnullas hoc de argumento Molina propositiones potenter declamarit, easque in publicis prælectionibus, tanquam erroneas, ac scandalosas impugnavit. (3)

Re

(1) Fund. 1. Num. 64. Edit. 2. (2) Lib. 1. Cont. Rufinum. (3) Ex scripto PP. Societ. dato Inquisit. Exstat Romæ in Bibl. Angelica vol. sig. X.

Re comperta, judicant Societatis Theologi, qui eadem in Academia verfabantur, universi Ordinis honorem in discrimen vocari, si Molinam ea occasione indefensum relinquere. Præmissa itaque deliberatione, censuerunt publicas disputationes institutas, ubi universam Molina doctrinam, uti sanam, ac tutam, propugnandam sibi fumerent.

Tentatum in primis fuit, ut Molina defenso, & solennior fieret, & minus suspecta haberetur. (1) Theses Apologeticas Serenissimo Principi, Philippi secundi Hispaniarum Regis Primo-genito, nuncuparunt, ad Aula patrociniū conciliandum, & frequentiam cœtus augendam. Clarissimum etiam Virum Hieronymum de Rabanal, Doctorem Theologum, ac Regium in Academia Professore, exire rogarunt, ut publicis Thesibus præfere dignaretur; quas ex conducto defensus erat Hieronymus Nunnes, Theologiæ Candidatus, quem a mensibus aliquot Molina opinionibus oppulerant. Assensit incircumpecte Vir humanissimus, nihil interim suspicatus: at sanioribus consiliis avocatus, promissam fidem liberavit. Alienis itaque Molina defensionem detestantibus, eam Sodales in se fumere coacti sunt. Sedit Disputationis Præses P. Antonius de Padilla: indicta dies integra 4. Martii 1594.

Primus matutinis horis descendit in arenam Didacus Nunno, Ordinis Prædicatorum, ita disputationem exorsus: Hæc propositio Molina est hæretica: (2) Cuius equalibus auxiliis omnino, & quantum ad omnia, unus convertitur, alius non convertitur; unus vincit tentationem, alius succumbit. Id hæreticum esse, inficiatur est Candidatus, ejusque responsum, uti probabile, confirmavit Antonius de Padilla: Quia, inquit, tota propositio Molina supponere duntaxat videbatur pro auxilio præveniente, cujus æqualitate supposita, unus aliquando convertitur, altero non convertitur; non pro auxilio adjuvante, seu concomitante. Instittit in oppositum Vir eruditus, nec fide Molinam in tuto positum demonstravit; tum quod de auxiliis adjuvantis æqualitate distincte loquatur, in hunc modum: (3) Ab inequali conatu, & influxu liberi arbitrii provenire potest, ut, conferente Deo duobus hominibus æquale auxilium Gratia adjuvantis, unus eorum intensius operetur, meliusque se disponat ad gratiam justificantem, quam alius: Et ut, conferente eisdem inequalia auxilia, æque operentur, aut is interdum plus, qui minori suffulens est auxilio: tum quod discrimen nullum gratiam inter prævenientem & adjuvantem, operantem, & cooperantem instituat, (4) nisi quod ex accedente liberi arbitrii consensu repetitur; adeo ut, prævenientis, & operantis gratiæ æqualitate supposita, tota penes naturas liberi arbitrii vires stet credentis a non credente discreto.

Dum hæc, aliæque multa magno animi æstu pro instituto Vir eruditus urgeret, Virosque astantes iudices certaminis appellaret; nulla interim commodiori responso Molina Defensoribus occurrente, reposuit, nescio quo fante Aquilone, Candidatus, sancto Thomæ tacite insultabundus: Numquid apud vos sunt claves sapientiæ? Represtit impudentis audaciam cœtus clamor: nec alia tamen objecta difficultati data responso.

Post Nunnum disputarunt Didacus Alvares, & Hieronymus Vallejo, ambo Ordinis Prædicatorum, Theologiæ Professores, quorum primus ob egregia merita ad Archiepiscopatum Tranensem postmodum assumptus fuit; alter morum, vitæque Serry Tom. I.

sanctitate promeruit, ut corpus ejus venerationis ergo propriis Illustrissimorum Ducum Francavillæ, & Paltraensis humeris tumulo inferretur, ejusque virtutum, ac miraculorum gesta, auctoritate Apostolica, & forma juris inquirerentur. Quid Alvares sua Disputatione confecerit, nupiam lego, nisi in Dalmati Amati narratione; ubi eum Molina, ac Pelagii consonantiam ex Augustino demonstrasse, fertur. Hieronymus Vallejo, pervoluta Molina libro, locisque cursum indignitatis, triginta, & amplius loca digito monstravit, quæ hæreticos, aut erroris insinulabat, ob repugnantiam cum Synodi Tridentinæ decretis.

Res non sine Astantium offensione successit. Ad disputationem non ultra ferentis horis accedendum, contestatus est Didacus Nunno. Spondidit, se publicas Theses mense Maio proximo futuro contra Molinam habiturum. Viros etiam adstantes, futuros certaminis iudices appellavit, & invitavit.

Domum reversi FF. Prædicatores, causam ulterius promovendam censuerunt, nec solis Scholasticis disputationibus immorandum; sed defenata dogmata, dataque responsa, ad sacros Fidei Quæstiones deferenda. (5) Re consilio definita, effectus pro sua pietate P. Hieronymus Vallejo, ut nihil interim intempetive, ac nisi præmissis fraternæ correctionis officio, tentaretur, hujusque curam in se suscepit. Christianam provinciam sequenti die obiit Vir religiosissimus; sed conatu plane irrito: Societatis Theologos, denunciations interminatione minime territos, ab impensio Molinianis opinionibus patrociniū nequaquam abduxit: Quin potius si, vinciti propositi tenaces, doctrinam Molina sanam, ac tutam, ejusque impugnatores vane decipros, responderunt. Sustinuit nihilominus Vir piissimus, deditque saniori responsioni, ac deliberationi dies aliquot; quibus demum absque emendatione transactis, Molina doctrinam sacris Vallisolei Fidei Quæstionibus, suo, sociorumque nomine detulit. Denunciationem hanc, aliæque, ab Ordine Prædicatorum contra Molina doctrinam interjectas, livori, & invidia vulgo tribuunt adversæ partis Auctores. Eas religioso, laudabilique tutanda Fidei zelo verius ascribit Didacus Bæza Societatis Jesu, vanis licet Molina triumphis mentem passus, Tom. 3. Comment. Moral. in Evang. historiam lib. 15. c. 2. §. 7. Laudo, inquit, sacrum Prædicatorum Ordinem, qui pro fide stans, ubi Ludovici Molina, Societatis Jesu splendidissimi Theologi, CONCORDIA de libero arbitrio suspensam habuit, rem ad fidei Judicem, Summum Pontificem, detulit, & vel suspecta dogmata asterisco notans, coram tanto Judice alacriter pro fide pugnavit.

Scholasticæ velitationi Apostolicum zelum addidit Alphonsus de Avendanno. A sacris Fidei Quæstionibus concionem habere iussu die Dominica, quæ disputationem proxime secuta est, ut sacri Senatus adversus hæreticos, illorumque fautores edita promulgaret, dixit de Fide Ecclesiæ, ad illa Evangelii verba: O mulier, magna est fides tua! quam & magnam, & incorruptam ostendit. Hinc, nata occasione, in novellarum opinionum Auctores sermonem acuit, dissimulato quidem nomine, sed tam aperta sententiarum indicatura, ut omnes facile intelligerent, in quos ille hanc fabam cuderet. Die altera, quæ Divo Thomæ sacra erat, Panegyricam sanctissimi Doctoris Orationem habuit; cumque plurima in ejus laudem prolulisset, ostendit demum, D. Thomam Scholasticæ Theologiæ clavem esse; illoque idcirco sibi, totique Ordini sapientiæ clavem non immerito ar-

H 2 1 ga

(1) Ita Prædicatores in Apologia, & Clar. Pegna, in Relat. Alii Theses Archidaci Alberto dicatas scribunt, & Alphonsum Romero earum defensorem adnotant. (2) In Concord. q. 14. art. 13. disp. 12. §. 1. Et. disp. 33. §. antequam. (3) Disp. 37. §. Illud. (4) Disp. 38. §. antequam §. hinc. §. multa. (5) Pegna in Relat.

rogare, qui eum, uti proprium Doctorem, habeant. Quibus petulantis Adolescentis audaciam perstrinxit, qui Divo Thomæ, & Ordini Prædicatorum nudiustertius insultaverat.

Apostolici Viri zelo commoti plus iusto Societatis Professores Regem Catholicum, & Apostolicæ Sedis Nuntium occuparunt, & Apostolicæ Sedis Nuntium occuparunt, & Apostolicæ Sedis Nuntium occuparunt. Mandata, quæ Matritum, vadimonium obituro, advocabatur, obtinere; eaque, ut gravior illi injuria accideret, ipso die Paschatis e recenti pulpito mudenti significarunt, ne & in crastino, quam sponderat Auditoribus, ultimam concionem haberet. Omnem etiam operam posuere, ut suorum unus abeundi sufficeretur, quo mutam vicem inter concionandum rependeret, & male mulctatum Molinismum erigeret. At brevi spes illa decexit. Alphonso abeundi succedaneus datus est P. Garcias Mondragonensis, Ordinis Prædicatorum, qui iacturam multo fenore resaruit. Alphonso vero Regi Catholico, & Apostolicæ Sedis Nuntio causam suam, totamque agendi rationem probavit; reque intra tres menses feliciter confecta, Vallisolei postliminio receptus, cunctorum in se ora circumegit, majori, quam antehac, pietatis, ac religionis fama usus: unde non leve æmulis accufatoribus cordium fuit.

Interim, festinante disputationis, a Didaco Nunno indicæ, tempore, intercesserunt coram iisdem Quæstoribus Jesuitæ, ne juxta datam fidem haberentur; ea videlicet ratione, quod, delata ad ipsorum tribunal Molinæ causâ, eaque ad examen suscepta, nemini privato liceret de ejus opinionibus, pendente lite pronuntiare. Actores actione submovit scer Confessus. Sanxit, lato Decreto, Molinæ quidem opiniones, ob interjectam, susceptamque delationem, hæreseos interim notari non posse, donec causa definitivo judicio eliquaretur: integrum tamen Prædicatoribus fore, indicatas disputationes habere, ac propugnatas nudiustertius a Jesuitis opiniones, uti falsas, improbabilis, & insensibiles impugare.

Iis itaque notis, probante sacro Tribunali, sequentes Propositiones quatuor affectæ fuerunt in publicis Theſibus, quas, Præfide Didaco Nunno, defendit mense Maio F. Ambrosius de Santiago in Collegio S. Gregorii Ordinis Prædicatorum. Nempe prima; *Cum eodem auxilio, omnino equali ex parte Dei, pro sola libera voluntate unus convertitur, alius non convertitur*; Secunda: *Quoniam ego sum cooperaturus, Deus servit; ita ut ista propositio faciat sensum proprium & causalem*. Tertia; *Auxilium ad supernaturalia opera est ejusdem rationis cum illo, quod ad naturalia opera conferuntur*. Quarta; *Bonus usus liberi arbitrii est causa rei, quæ est integer effectus Prædestinationis*.

Accessit, Molinæ causam aperto Marte defensus P. Antonius de Padilla. Pro prima propositione fervide disputavit. At Prædicatorum rationibus victus, eam tandem erroneam agnovit, sequæ ultima concertatione errores incaute defendisse, confessus est. Eam porro palinodiam, ut solenniorem facerent Patres de Oviedo, & de Hormosa, Ordinis Prædicatorum, publicas rei gestæ narrationes ediderunt, eaque fama universum pene Castellæ Regnum opplevit. Id in injuriam accepit Antonius de Padilla; sparsum rumorem dispellere studuit, vulgata post mensem alterum altera narratione, qua callide rerum gestarum feriem obtexit, ac dissimulavit. Primæ propositionis errorem se sponte confessum exposuit, nullis Prædicatorum rationibus victum. In ejus defensionem se minime pugnasse dixit; sed eo tantum disputationem suam collimasse, ut eam falso Molinæ affectam ostenderet.

Verum, tametsi hic quæstio facti vertatur, unde integro, & amplius seculo diffusi sumus, Padillianæ nihilominus narrationis vanitatem, ac repugnantiam detegere, facile erit. Illum quippe propositionem primam adversus Didaci Nunni impugnationem suis Theſibus defendisse, referunt Patres Societatis eo in scripto, ex quo pene omnia, hæcenus isto in capite narrata, desoravimus. Ita siquidem Nunnum disputantem inducunt. *Hæc Propositio est heretica: Cum equalibus auxiliis omnino, & quantum ad omnia, unus convertitur, alius non convertitur: ergo hæc Propositio (quæ scilicet Theſibus inscripta erat) est erronea; nude sumpta, & non explicata: Cum equalibus auxiliis unus convertitur, alius non convertitur. Cui negatur, iniquum, antecedens ab Respondente Candidato, Antonio de Padilla Responsum, uti probabile, confirmante. Rursus in Molinæ Concordia totidem, ac etiam durioribus verbis controversa propositio legitur: Quæst. 14. art. 13. disp. 12. §. Ex dictis. Si duo, æquales per omnia, & in omnibus, conspiciant eandem mulierem pulchram, evenire potest a sola libertate utriusque, ut unus consentiat in peccatum, eam concupiscendo; alter non item. Eademque est ratio de eodem modo affectis, æqualiterque a Deo ad fidem vocatis; pro sola namque eorum libertate potest evenire, ut unus complectatur fidem, alter vero eandem contemnat. Et Qu. 22. art. 4. & 5. dif. 1. mem. 11. §. Denique. Sint duo homines justus, animo, & corpore, cæterisque adjunctis per omnia pares; ponamusque, Deum constituisse, eodem profus modo utriusque ex parte sua optulari, ac providere: tunc, oblata eadem peccandi occasione ex aspectu ejusdem mulieris pulchre, pro sola innata libertate utriusque fieri potest, ut unus in peccatum consentiat, alter minime, sed se ipsum cohibeat. Sed neque propositionem hanc a Molinæ re ipsa assertam esse, disputanti Didaco Nunno inficiatus antea fuerat Antonius de Padilla, sed peregrinis interpretationibus emollire contenderat, ut eam ab hæresi vindicaret. Qui itaque fieri potuit, ut eam sponte, nullisque Prædicatorum rationibus victus, errorem fassus sit; atque etiam Molinæ falso affectam, ultima disputatione contenderit? Quid quod Padillianam narrationem, a sacris Quæstoribus proscriptam, illiusque exemplaria omnia intercepti iussa, fatentur ibidem Patres Societatis? Et si (ut res suas emollire solent) suum tandem Antonio de Padilla restitutum exemplar adjiciant. Ejus itaque libertatem sacris Cognitoribus perpetuam fuisse, necesse est, tametsi duodecim testium, ut scribit Errorum Annotator, subscriptione munita esset, quorum dubio procul lubricam fidem deprehenderant. Et quidem illos misere corrasos nemo non dicit, qui quosdam ex iis Medicos, nonnullos Jurisperitos (qui suam ipsorum in rebus Theologicis ignorantiam in ipso subscriptionis instrumento simpliciter profiterentur) subscripsisse, observaverit, rerum, inter disputandum utrinque dictarum, fidem facientes: quasi non satis virorum Theologorum celeberrimæ Disputationi interfuisset, quorum testimonium potiori jure quæreretur. Quamvis Facultati Theologicæ non naraverim operam, inquit Lopes de Salcedo in subjecto chirographo,*

Auger decantatæ ab Antonio de Padilla palinodiæ fidem rerum exitus. Absolutis quippe disputationibus, Patres ipsi Societatis eadem die ad vesperam Molinæ Librum sacro Inquisitionis Tribunali, tanquam de hæresi suspectum, detulerunt; id unum ab æquifimis Judicibus postulantes, ne Fratres Prædicatorum in Censores assummerentur. (1) Hanc ab illis denuntiationem extorsit publica civium indignatio, quam speciosa illa in eum actione

CAPUT XXI.

Listem adversus Molinam apud Generalem Hispaniarum Inquisitionem instrum. FF. Prædicatorum; quam tandem, serendo judicio maturam, Romam advocat Clemens VIII. Societatis precibus læcessitus: Partibus interim de Divina Gratiæ quæstionibus indico silentio.

Controversiam ad Regni Castellæ supremam Inquisitionem Bannetus deluit: nec tamen a censuris, & injuriis temperatum. Timuit, qui sacro Tribunali præerat, Cardinalis Gaspard de Quiroga, Archiepiscopus Toletanus, ne apertum in schisma controversa prorumperet, datique Clementi VIII. potentissimis Epistolis, universam rem feriem aperuit. Nec interim Viri Aulici defuerunt, qui, ut Societati, inausum eventum merenti, plus æquo gratificarentur, sinistra de Patribus Prædicatoribus opinione Sanctissimi Pontificis animum occuparunt, quam difficulter, ac nonnisi rebus mature discussis, tandem deposuit. Hos inter numerandus venit Cardinalis de Castro, qui die 20. Maii 1594. Beatissimo Patri duriorem in illos Epistolam dedit, cujus autographum in Augustinienſium Archivio servatum est. Accertendus Alphonſus de Moscoſo, Episcopus Legionensis, qui amariore in illos Epistolam Romam scripsit die 14. Julii; quarum subinde vanitas Clementi VIII., rebus per sese discussis, satis patuit.

Hac eadem, immo & iniquiori fortuna jactatos legimus primos Pelagianæ sectæ delatores. Zoilius Summus Pontifex, in Pelagianorum gratiam initio circumventus, graviore ad Episcopos Africanos Epistolam dedit in causa Pelagii, quæ Erotem, & Lazarum, Novatorum religiosissimos delatores, vocat solitos criminatores, leves susurrone, quorum scripta pendenda non sunt. Pelagium vero, & Cælestium, uti viros absolute Fidei, ac peccatam infamatos tueri videtur. Tametsi postmodum, re penitus inspecta, pristinum exerit animum, & Pelagianos reipsa damnavit.

Refcripsit Cardinali Quirogæ Beatissimus Pater, quod interim ad continentendos animos ac præcavenda pericula congruum videbatur. Dato sub Julii initium ad eundem Cardinalem, supremum Fidei Quæsitorem, Brevi Apostolico, tria sanxit. Primo, ut contententibus Sanctitatis suæ nomine prohiberet, ne in publicis disputationibus, ubi simul convenirent, de controversis Divinæ Gratiæ dogmatibus agerent cum alterutrius morſu opinionis, donec diffidium Ecclesiæ judicasset. Secundo, ut utriusque partis Provinciarum Præpositis injungeret, eruditissimos utriusque Ordinis Theologos designari, qui scholæ suæ de Divina Gratiæ, Prædestinatione, scientia, voluntate sententiam exponerent; tamque solidioribus sacrarum Scripturarum, & Ecclesiasticæ Traditionis momentis confirmarent; sua etiam de Molinæ opinionibus judicia scripto traderent. Tertio, ut Hispaniæ Academiæ, Episcopos, Theologos, quorum major erat eruditionis fama, hoc de argumento confuleret; ac de iis præferrim, quæ tum in Molinæ libris Prædicatorum, tum in Banneti scriptis Jesuitæ censuræ notabant.

Hoc ultimum Brevi Pontificio injunctum differtur Errorum indiculi Fabricator. Nullum de sciscitanda Academiæ, Episcoporum, ac Theologorum sententia mandatum ab Apostolica Sede datum obtendit: sed supremum Fidei Quæsitorem illos suapte sponte in consilium adhibuisse, Fæliciter,

ne avertendam existimarunt. Juvit etiam politica artis industria, quæ secum ob propriam delationem mitius actum iri, confidebant. Absit enim, ut Molinam a suis re ipsa desertum, & Inquisitionis judicio sponte permisum, existimemus. Immo quo magis ille a potentissimis Adversariis appetitus, eo magis a Sodalibus defensus est. Id Salmantica comprobatur. Hujus opinionis suis passim in Prælectionibus Pelagianismi infimulabat Dominicus Bannes, & qua pollebat in Academia, eruditionis, ac pietatis fama, multos trahebat in partes, Quid tum Molinæ Defensores? Translato in accusatores crimine, ut Pelagianismi censuram effugerent, Calvinismi notam objiciebant. Sincerior hic Ripaldæ confessio, quam ut res vocetur in dubium: Bannes, inquit, (1) & plerique ejus discipuli in publicis disputationibus, privatique sermonibus, ceperunt notare illam sententiam (nempe Molinæ) ut Pelagianam; Nostri e contra, ut notam Pelagianismi evitarent, objiciebant oppositam notam Calvinismi.

Vallisoletanæ Academiæ Professores, a Jesuitis ad consultationem vocatos, de suborta Controversia sententiam dixisse, comminiscitur Quæstionum Eventilator; (2) assertionemque, a Prædicatoribus in Jesuitis notari solitam, ab erroris suspitione liberasse, hoc dato Rescripto: Respondetur, tantum abesse, quod hujusmodi Propositio (Efficacia gratiæ pendet ab innata Libertate) mereatur aliquam notam erroris, vel reneritatis; quod potius verissima sit, habeatque omnino verissimum, & Catholicum sensum, & omnino conformem iis, quæ dixit Sacrosanctum Concilium Tridentinum Sessio 6. de Justificatione, Capite 5. Ita censens omnes Professores Theologie, qui subscribitis, salvo in omnibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ judicio.

Doctor Joannes Garcia Coronel, primarie Cathedræ Theologicæ Professor in Vallisoletanâ Academia.

Emmanuel de Rosas, Theologie Professor.

Gaspard Moro, Theologie Professor.

Magister Hieronymus Murio, Theologie Professor.

Doctor Franciscus de Carthagena, Theologie Professor.

Fr. Petrus Cortona, Theologie Professor.

Joannes de Carthagena, Theologie Professor.

Lucas Carillo, Theologie Professor.

Franciscus de Galarza, Theologie Professor.

Joannes de Salas, Theologie Professor.

Joannes de Funes, Theologie Professor.

Joannes Sanctius, Theologie Professor.

Franciscus Antonius Ormandes, Theologie Professor.

Num is quæſto ollas ostentat, dum suam illam Consultationem, tanquam sanctioris cortinæ oraculum, jactat? Quasi vero Societatis Professores, quorum illic inscripta nomina deprehendimus, Academiæ titulo censerentur? An num potius ingentis fallaciæ rei habendi veniant, qui, dissimulata in syngraphis professione, Domesticæ causæ judicium affectant, & incautos magni nominis umbra terrefaciunt? Emmanuelem de Rosas, Joannem de Funes, Gasparem Moro, Joannem de Salas; Franciscum Galarzæ, Joannem Sanctium, Lucam Carillum, Societatis Theologos novimus, tametsi sub larva deliteant. Ac forte nonnullos alios deprehenderemus, si in minutulis dispungendis aliquod operæ pretium foret.

(1) Ex Relatione Dalmatii Amati.

(1) Ripaldæ. to. 2. disp. 113. sect. 9. num. 53. (2) Quæst. 1. Cap. 5.

ces, si Brevis Apostolici exemplum invenire licuisset, quo verbum cavillatorem authentico documento refelleremus. Sed adest, qui iacturam refert, novoque Censori ora verberet, Gregorius Coronellus, Congregationis Auxiliorum Notarius, quem rerum istarum ignarum, ac rudem, citra injuriam nemo dixerit, in celebri Narratione. *Eores decem, ut, delata Controversia ad Sancte Inquisitionis Tribunal, mutis sese predicti Patres censuris lacerant: adeo ut D. Cardinalis Quiroga, supremus Hispanie Inquisitor, habita cause cognitione, compulsus fuerit etiam de Ordine Sanctissimi primum ad aliquos Episcopos, Doctores Theologos, ac etiam ad nonnullas Universitates scribere; & Censuras factas in Librum Concordiæ Patris Molina a Predicatoribus, & a P. Molina in Commentaria Magistri Bannes, ad illos mittere; ut quid de predicta Controversia sentirent, scriptis suis consignarent. Quibus fidem adjicit Petrus Portocarrerus, Conchenfis Episcopus, alter post Cardinalem de Quiroga Hispaniarum Inquisitor, hac ipsa in Epistola, quam, elapso biennio, scriptorum omnium Romanam transmissorum comitem dedit: Ubi Universitatum virorumque in Theologica facultate magis insignium Judicia, Sedis Apostolicæ jussu conquistata, haud obscure significat; nulla ut dubitatio subesse possit, quin totidem illa, quæ diximus, Pontificio Rescripto continerentur.*

Hæc eadem Camillo Cajetano, Patriarchæ Alexandrino, in Curia Matritensi Nuntio Apostolico, mandavit Sanctissimus Pontifex, justique, ut mutua cum Generali Quasitore consensione in eam sopiendi dissidii curam intenderet.

Apostolica mandata utriusque Ordinis Præpositis denuntiavit Camillus Cajetanus die 15. Augusti, 1594. ut pro officii parte jussa completerent, tum silentium, indictis conditionibus, subditis imperando, tum eruditos Theologos ad domesticæ scholæ dogmata exponenda, ac confirmanda præcipiendo, Sequentes exempli Epistolas dedit.

Multum Reverende in Christo Patre.

Cum Sanctissimo Patri, ac Domino nostro, Clementi VIII. non sine animi dolore innotuisset Controversia, mota inter aliquos Patres Ordinis Predicatorum, & quosdam e Societate Jesu, circa Gratiam sufficientem, & efficacem; & illi viderentur, talis causæ decisionem, (quod ad fidem spectet, & non exigui momenti sit) pertinere ad Sedem Apostolicam, neminemque alium posse, ad debere, eam ad suum iudicium trahere: novissime mihi mandavit, ut Illustrissimo Cardinali Toletano significarem, si quam forte cognitionem ejus negotii inchoasset, ne procedat ulterius, sed ejus determinationem suæ Sanctitati, ad quam spectat, integram relinquat. Præterea jussit, me præcipere suo nomine Superioribus dictarum Religionum, ut mihi rationes, & fundamenta, omnia suæ quique sententiæ, ac totius Questionis statim, scripto explicarum, consignent, mittenda per me ad suam Beatitudinem, ut ex iis ad verum causæ iudicium procedi possit. Interim autem, dum hæc fiunt, aut parantur, ne quid jurgii, scandalive oriatur, jubet, me nomine, atque auctoritate Sanctitatis suæ, præcipere sub gravissimis penis Superioribus dictarum Religionum, ut suis quique Religiosis interdicant omni proferri contentione super his Questionibus, publice, aut privatim in defensionibus thesium, aut alia quæcumque occasione, quoad controversia per Sedem Apostolicam decisa fuerit. Ac si aliquem in eo minus obedientem experiantur, eum severissime castigent, deque illo referant

ad Sanctitatem suam, expectantes an aliud præterea gravius ei supplicium, pro qualitate delicti velit infligere. Ego itaque, executionis mandando totum id, quod fuit mihi Sanctitas præscripsit, postquam Illustrissimo Domino Cardinali Toletano, quæ ad ipsum pertinent, significavi, volui per has notam facere Paternitatis tuæ voluntatem Sanctitatis suæ; simulque injungo, ut, adhibitis Leſoribus, & personis in eo genere primariis tuæ Istitus Provinciæ, scriptis commendari cures sententiam vestram cum argumentis ejus, & fundamentis omnibus; eaque scripta ad me, quam primum fieri poterit, mittas, ut illa in manus Sanctitatis suæ perferenda, curare queam. Præterea de mandato expresso tuæ Beatitudinis, in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub penis excommunicationis majoris, & aliarum penarum, arbitrio Sanctitatis suæ; & meo, impero Paternitatis tuæ, ut interdicat, vel interdiciendum cures omnibus Religiosis tibi subiectis, sub istem penis, etiamque privationis vocis activæ, & passivæ, & aliis, quæ Paternitati tuæ videbantur ad propositum accommodata, omni genere contentionis, ac concertationis super his materiis, sicut dictum est, quoad controversia per Sedem Apostolicam decisa fuerit. Gratia Domini nostri adfit tuæ Paternitati. Matriti die 15. Augusti, Anno Domini 1594.

CAMILLUS PATRIARCHA ALEXANDR.

Nihil hac in Epistola de consulendis Academicis, quod nihil illud Mandati Pontificii caput ad Religiosorum virorum, qui de Divinis Auxiliis contendebant, Præpositos attineret. Silentium illi subditis indixere mense Septembris publica voluntatis Pontificiæ significatione. Pro delegandis vero Theologis, domesticæ doctrinæ interpretibus, uti deliberatione, ita & tempore opus fuit.

Mense Septembris supremum Regni Castellæ Inquisitor Brevis Pontificii transcriptum ad inferiores ditionis suæ Quasitores transmittit, additis etiam mandatis, ut in eos feverius animadvertent, qui contra jussa Apostolica nec ad intemptivis disputationibus, nec a censuris temperarent. Scripsit quoque ad Academiæ, Episcopos, ac celeberrimos Hispaniæ Theologos, sententiam de controversiæ dogmatibus rogans.

His auditis, Matritum impigre venit Ludovicus Molina, doctrina suæ rationem coram supremæ Inquisitionis concilio redditurus. (1) Non illi Potentum gratia defuit: versabatur quippe in Regia Matritensi Curia Serenissimus Princeps Albertus, Archidux Austriz, nuper Cardinali de Quiroga, nonagesimum ætatis annum agenti, pro sustinendis Archiepiscopatus Toletani oneribus, Coadjutor datus, qui causam ejus non affectu tantum, sed & proprii commodi ratione promovit. Data enim jam pridem CONCORDIAM edendi venia, ejusque solemnem nuncupatione grato animo suscepta, propriam cum Molina jactura existimationem verti, judicabat.

Cessit nihilominus æquitati favor. Libellum Inquisitori generali dedit Ludovicus Molina, quo Dominici Bannes & Francisci Zumelli propositiones bene multas, censura, ut ajebat, dignas, sacro Tribunali deferrebat, rogans, ne se contra Bannesium, præcipuum intentata sibi litis actorem, odio, ac livore, sed uno veritatis studio duci crederet.

(1) Exhât ea contra meritissimos Theologos expulatio in Angelica Augustinienfium Bibliotheca. Incipit in hunc modum. *Non dolore aliquo animi commotus, quod mea doctrina sit a R. P. Bannes antea reprehensa, & ad hoc sanctum Tribunal delata.*

delata &c. Ita feliciter vir acutus in accusati Actoris personam transferre satagebat. Verum experientissimo Judici verba dare difficile fuit. Respondit æquissimus senex, injecta contra Bannesium, & Zumelium accusatione, nequaquam rebus ejus consultum esse, priusque causam ipsius dirimendam, quam in aliorum doctrinam inquirendam. Ita liquidem jura statuunt Leg. 1. Tit. Cod. de his, qui accusare non possunt: *Ex eventu cause Judex estimabit, an accusatus possit suum accusatorem accusare.*

Molina, hoc audito responso, male de rebus suis ominari cœpit: at interveniente supremi Quasitoris morte die Novembris 19. anni 1594, paululum exortus est. Forte etiam refecit animos speciosa præsumptio, qua Archiducem Albertum, demortui in Archiepiscopatu Toletano successorem, eidem (ut moris erat) in supremi Inquisitoris officio successurum, sperabat; seque eum Judicem habiturum, quem hæcenus patroanum expertus erat. Verum quam læva illi mens esset, quamque parum quid nepenthe suas ille sopiret curas, brevi probavit eventus.

Interea, vacante supremi Inquisitoris officio, mense Decembris suas Theologi Societatis sacro Tribunali lucubraciones obulere, quibus juxta Summi Pontificis voluntatem Scholæ suæ de Divina Gratia doctrinam exposuerant. Nec multo post, alterum Breve Apostolicum, Cardinali de Quiroga inscriptum, spissiglicum Curse perlatum est, quo latum jampridem de Divina Gratia disputandi interdium renovabatur; atque insuper cautum erat, ne quid hoc de argumento, aliove affini, in sacris Pulpitis, scholis, ac libris ullo pacto haberetur. Apostolica jussa Camillus Cajetanus, sacerdos Inquisitionis Confessus implere; donec D. Hieronymus Manriques, Episcopus Abulensis, in generalis Quasitoris munus die 6. Maii anni 1595. ingressus, ardentiore operi manum admovit.

Cum primum illum, nova dignitate auctum, Molina novit, de rebus suis cum ipso cœpit agere. (1) At, significante æquissimo Judice, CONCORDIÆ librum non qualicumque damnationis, sed & ultricis flammæ discrimen agere, sibi aliter consulendum judicavit. Claudium Aquavivam, Societatis Præpositum generalem, datis Epistolis enixe rogavit, ut auctoritatem suam omnem, ac gratiam impenderet ad Inquisitionis generalis iudicium præripiendum, omnique conatu adniteretur, causam illam coram Summo Pontifice Romam ascribi.

Non possum, quin hic recentiores hujus Historiæ depravatores durius excipiam, qui non solum ista dissimulant, verum etiam Patres Predicatores, in Castellana Inquisitione prædamnatos, aut sibi de imminente damnatione metuentes, causam Romam transtulisse, audacter effuriant, nullis nedum suffragantibus documentis, sed facti evidentiâ palam, aperteque repugnante. Sic fabulam divendit Joannes Martines de Ripalda S. J. (2) *Supremus sacre Inquisitionis Senatus Censuram Molina commisit maximis Hispaniæ Theologis; deque ea re Academiæ Complutensium, & Seguntinam consuluit; ac tandem post annum integrum in favorem Molina sententiam protulit. . . . Interim affectu Dominici Bannes, non acquiescentes iudicio Hispanorum, ad supremum Romanæ Inquisitionis Tribunal appellarunt, misso in sollicitationem causæ legato sui Ordinis, qui prolixum in doctrinam Molina scriptum, Cardinali Alexandrino dictatum, obtulit, omniaque in Hispania gesta occultit. Sic vero Christophorus Ortega S. J. (3) Regius ille*

Castellæ Senatus ab Academicis, & doctis quibusque Religionum Magistris de ea controversia iudicium exigebat. Interim autem per eosdem Dominicanos (quos, non satis apud Castellæ Inquisitionem, & Academiæ, de causæ exitu confidentes, Lusitanæ Inquisitionis, & Academiæ antiodicæ iudicia reddiderant) rem totam ad Clementem VIII, & Urbem, in qua sacri Palatii & Sodalitio suo Magistri summa super his auctoritas erat, detulerunt. Quo effectum est, ut eorum industria Clemens VIII. ad se causam avocaverit &c.

Vanam, putidamque fabellam, sola dicentium dicacitate fultam, revincit Coronelli Secretarii Congregationum auctoritas ea in Narratione, quam non privato, sed totius Congregationis nomine, de rebus antea gestis habuit coram Paulo V. die 14. Septembris anno 1605. in solemnem Congregatione: ubi non Predicatores, sed Jesuitas causam advocari curasse, narrat; atque ita non illos, sed illos de infauto sibi exitu metuisse, pro certo ponit. Interim, inquit, dum hæc in Hispania aguntur, Romæ apud sanctis recordationis Clementem Papam VIII. instant Patres Societatis, ut causam ad se advocet, & quid de exorta controversia tenendum sit, definit; parati ejus obtemperare decretis; quod sancta Romana Sedes omnium Ecclesiarum Magistra, & salutaris discipline director sit, ad quam provocare religio est. Annuit illorum precibus Sanctissimus Pontifex, causam ad se advocat &c. Proferant superiores fidei testimonium, qui pro causæ studio rem aliter gestam volunt; & ultro dabimus manus.

Accedit Illustrissimi D. Francisci Pegnæ, Rotæ Romanæ Decani, rerum Narratione testis locupletissimi, suffragium, in Narratione de hujus controversiæ exordiis, & progressu: *Aviendo, inquit, entendido Molina, que su causa se apretava mucho en España, por la grave censura, que contra su libro avia en la Inquisicion: Cerniendo lo que verisimilmente podia suceder, de que su libro fuesse prohibido, y quemado, por que assi se lo avia asomado el Inquisidor general: luego lo aviso a Roma, donde por obra, y negociacion de su general, su Santidad avoco a se esta causa, ordenando a la Inquisicion general, que no la concluyesse, ni diese sententia. Quod Latine ita redditur: Cum intellexisset Molina, causam suam in Hispania vehementer urgeri ob gravem censuram, que iam in Inquisitione contra librum ejus parata erat; præcavens, quod verisimiliter contingere poterat, videlicet librum suum prohibendum, & igni traditum iri (sic enim ipsi Inquisitor Generalis denuntiaverat) statim Romam scripsit, quo Generalis ipsius avocet, & industria Sanctitas sua causam ad se advocaret, præcipiens Inquisitioni generali, ne eam finiret, aut sententiam ferret.*

Quamquam tamen antiqua serinia, obscurave monumenta scrutari, necesse non fuit ad falsitatem revincendam, quam ex propria narrationis repugnantiâ dissipatam auctores ipsi vidissent, nisi eos domesticæ causæ studium nimium occupasset. Quid enim est, quod datam a supremo Castellæ Senatu contra Predicatores pro Molina sententiam, narrat Ripalda: eandem vero non reipsa latam, sed ne ferretur, valde a Predicatoribus suspicatum, effudit Ortega; dum ab illis Romam fingitur appellatum? Quid, quod juxta Academiæ Complutensium, & Seguntinæ iudicia, jam contra Predicatores ab Inquisitore pronuntiatum, antequam appellaretur, ait unus; eadem vero Academiæ iudicia fuisse etiam tunc expectata, comminiscitur alter? Certe fœderatores mendaces,

(1) Ita Cl. Pegna loco mox appellando. (2) Tom. 2. disp. 113. sect. 9. (3) Tom. 1. Contr. 5. disp. 4. q. 4. cor. 3.

(1) Pegna in Relat. (2) Pegna in Rel. 1. Ripal. tom. 2. disp. 113.

ces, non sui tantum, sed & sociorum oportuit esse memores. At nec se sui memorem Ripalda præbuit, dum earum Academiarum consultationes, pro firmando Inquisitionis iudicio, vendit, quas nisi post interpositam appellationem, advocatamque causam, consultationi respondisse, nec Molina adeo favisse, certissimum est. (1) Quid plura? Novo cum suis diffidio committitur nuperimus Quæstionum eventuator, (2) ab neutra dissidentium parte ad Clementem VIII. provocatum, inquit; sed ab ipso Hispaniæ Quæstione causam integram ad Summum Pontificem sponte rejectam, spectata scilicet rei controversiæ gravitate, quam ab ipso Ecclesiæ Capite dirimi, fatius esset. Sic sua quique signa pro arbitrio dividunt, putidisque antilogis invicem pugnant, ne quod veritas habet, simpliciter fateantur.

Lepidius longe multo, quod objicit illorum ultimus in *Erratis*: Molina doctrinam tanto eruditorum omnia applausu in Hispania primitus exceptam fuisse, ut is rem sibi ex sententia cessuram facile posse existimare; minusque idcirco versimile videri, voluisse illum, ab Hispanis ad Romanos Judices provocare. Quocirca Lemosii fidem appellat Tomo 1. Panoptice Tract. 7. Cap. 2. pag. 268. ita scribens: *Quia nova placere solent, Liber ille, novam, ut videbatur, consilium doctrinam, a quamplurimis acceptus fuit, & ejus dogmata amplectata; ita ut in communibus disputationibus, publicisque congressibus, imo & in scholis nihil aliud audiret, quam hanc Molina doctrinam.* Verum de solis Societatis Theologis, illorumque scholis, quæ probata novitas est, locutum Lemosium, plane liquet; quippe hoc ipso in loco, paucis interjectis, Molina inventum piis, iisque longe multis Hispaniæ Theologis displicuisse, observat. *Unum tamen, inquit, silere non possumus, adeo Librum istum, cum primum excusus fuit, pro-rum Theologorum animos offendisse, ut etiam ex Societate ipsa Doctor Henricus Henriques adversus eum copiosam Conjuram protulerit. . . . Videntes autem Recentiores, & animadvertentes, multis displicere, quod P. Molina doctrinam SS. Augustini, & Thome respuerit, &c. Cui concinit Franciscus Macedo, non multo ante laudatus, cum Henrico, Molina inventum acris impugnante, omnes pene alios Hispaniæ Doctores idem sensisse, diserte significans. Erat ergo Molina timendus locus, ne quid sibi incommodi in supremo Hispaniæ Tribunali contingeret, nisi ad Romanum Pontificem provocaret.*

Post interpositam igitur a Jesuitis, sibi de infauto eventu metuentibus, appellationem, facto cessit Hieronymus Manriques, die 1. Septembris officio mensibus circiter quatuor: Eoque tristissimum rerum concursu, Hispaniæ Provinciæ Prædicatores Anglicæ adversus Molinam doctrinæ expositionem, ac defensionem absolvere, quam sub Apologia nomine, sacro Congregationis Tribunali, ac Nuntio Apostolico tradiderant die 20. Novembris 1595.

Moxx arrepta demortui Quæstionis generalis occasione, Clementem VIII. ad interpositam appellationem suscipiendam adduxit Societatis Generalis. Quapropter, transmissa die 10. Januarii 1596. ad supremam Castellæ Inquisitionem Brevi Apostolico, venit Sanctissimus, ne sententiam diceret, aut quiddam ea in re definiret. Auctoritatem ejus, non in iis tantum, quæ jure Ordinario Apostolice Sedi reservantur, sed & in iis, quæ in solito Inquisitionum foro vertuntur, ade-

mit. Jussit, ut Academiarum, Episcoporum, ac Theologorum censura, nec non Prædicatorum, ac Jesuitarum lucubrationes, utriusque sententiæ interpretes, Romam quocumque mitterentur, ubi per sese causam finire meditabatur. Addidit novas in eos interminationes, qui de Divina Gratia, assinibusque quæstionibus, in Scholis, Pulpitis, editivæ libris agerent, donec aliter foret ab Apostolica Sede definitum.

Petrus Portocarrerus, Episcopus Conchenfis, Hieronymo Manriqueso susceptus die 7. Junii, Pontificiæ voluntatis iussa executus est. Universa iustentatæ, atque instructæ litis documenta, conquestas Academiarum, Episcoporum, ac Theologorum censuras, Prædicatorum, ac Jesuitarum lucubrationes, propriis Auctorum subscriptionibus munitas, Romam transmisit die 9. Octobris anni 1596. per Illustrissimum D. Joannem de Hante, Cajetanum Episcopum. Epistolam etiam addidit, singularis partium contententium obedientiæ, earumque in Apostolicam Sedem venerationis, & observantiæ testes.

Jam sese ad causam coram Summo Pontifice strenue promovendam accinerant partis utriusque Procuratores. Iter Romam occupaverat Didacus Alvarez 17. Septembris, a Prædicatoribus Actor delegatus; dieque 7. Novembris feliciter appulit. Huic non nisi longo post tempore, atque ex occasione, focus datus est Thomas de Lemos, Vir sanctitate morum, & eruditionis fama notissimus. Neapolim quippe profectus ad generalia Ordinis Comitia, publicas de Divina Gratia Theses habuit, Cardinali Francisco de Avila nuncupatas, anno 1600. die 27. Maii, quibus tantam sibi eruditionis famam fecit, ut communibus votis dignus sit habitus, qui totius Ordinis nomine in hanc causam incumberet.

Hispanos Societatis Procuratores, ad iter paratos, tardavit præconcepta de Theologis suis, Romæ commorantibus, existimatio, qua eos ad causam urgendam sufficientissimos arbitrabatur. Istos etiam aliquantulum commoverunt Baroni, Bellarmini, Henriquezii, Marianæ, Perrerii, aliorumque iusta consilia, qui Molinam indefensum, Ecclesiæ Romanæ iudicio permittendum, sentiebant. (3) At vincente demum majoris partis, ac præferent Præpositi Generalis opinione, qui, iacta jam pridem alea, indecoram Societati retrocessionem judicavit, prima interim litis inquisitione, ipis pro parte procurantibus, facta est; donec elapso biennio, die 29. Novembris 1598. Christophorus Cobos, & Ferdinandus de Bafida, ac postea Joannes de Salas, Theologi e Societate doctissimi, Romam attingere, Gregorio de Valentia, Benedicto Justiniani, Michaeli Vasques, Bartholomæo Peres, ac Petro Arrubali, pro Societatis causa certantibus, eruditionem suam, & operam addidit.

Fere per idem tempus, inquit Fuligatus libro 3. De Vita Bellarmini, capite ultimo, cepta Romæ agitari Controversia fuerat inter Religiosum Ordinem S. Dominici, & Societatem nostram circa opiniones Ludovici Molina de Concordia Gratie, & Liberi Arbitrii. Quam sententiam etsi aliqui, eo quod unius privati Scriptoris nata ingenio erat, minime consuebant defendi debere a Societate universa; tamen ii, qui tum præerant, aliter deliberarunt, tum quia nostrorum Professorum pars major in Academiis eam tuebatur; tum vero quia judicabatur in primis idonea ad nostri ævi hereses pervincendas. Rem paulo distinctius exponit Mariana, S. J. capite 4. de Regimine Societatis; moxque, Præpositum suum Generalem totius ac-

cusationis invidia onerandum non esse; cum & is, qui ei Romæ assistebat, & qui Provinciam Hispaniæ moderabatur, ac nonnulli juniores Hispaniæ Professores suam etiam partem peccassent. *Vir aliquis perillustribus, ac rerum istarum apprime conscius, Societatis Præpositos monuit, ne se isti hinc alius implicarent. Nihil tamen obtinuit: tum quod ad litem urgendam proprii honoris stimulo duceretur Præpositus Generalis, ob datam Molina ty-porum veniam; minusque rei gravitatem persentirent juniores nonnulli Hispaniæ Professores: tum quod qui Generali Romæ assistebat, quique Hispaniæ Provincialatum obibat (quorum artibus omnia hæc movebantur) viri essent profus illiterati, qui publica Societatis munia, hominum ejusdem moris, & indolis gratia, obtinerant. Ita Mariana latine redditus ex Codice gallico, in celebri Rheimensis Archiepiscopi Censura laudato.*

CAPUT XXII.

Scripturam utriusque partis, Romam ab Inquisitione Generali transmissorum, plenior, & uberior enarratio.

Postulat instituti Operis ratio, ut de Scriptis, a generali Castellæ Quæstione Romanæ, jubente Pontifice, transmissis, paulo fatis, & explicatis differamus; ne eorum ignoratione contingeret, ea minus facile percipi, quæ de latis Romæ iudicis suo ordine referemus.

Exceptis itaque mandatis Pontificiis de exponenda per selectos Theologos utriusque partis sententia circa dogmata controversa, diligentem operi manum Provinciales Præpositi admovent. Prætere nihilominus Prædicatores Jesuitæ; nec unam, alteramve pro sui defensione lucubrationem obtulere, sed plures, variarum scilicet Provinciarum, in eisdem causâ patrocinium conspiciantium. Existant earum omnium autographa in Bibliotheca, sub hoc titulo: *Qualificaciones de los Religiosos de la Compañia, sobre la Gracia suficiente, y eficaz.*

Expositionem, ac defensionem in primis obtulere Castellana Provincia Patres, quam, jubentibus Præpositis, Antonius de Padilla, & Franciscus Suares distinctis tractatibus seorsim elaborarunt. Prioris titulus est: *Tractatus de efficacia Gratie, & motionis divinæ circa actus humanos, in quadraginta quatuor lectionibus divisus.* Alterius titulus ita habet: *Tractatus de Concursu, & efficaci auxilio Dei, ad actus liberi arbitrii necessario, in quatuor libris distributus.* In iis toti sunt Auctores in impugnanda intrinseca Divinæ Gratie efficacia: at de Molina, ejusque CONCORDIA ex instituto nihil habent, perinde ac si ejus occasione Controversia mota non esset, deque ejus sententia dicere iussi non fuissent. Quia vero Tractatus illi prolixiores erant, quam ut a iudicibus commode legi possent; horum breve compendium collatis studiis edidit, sub hoc titulo: *Brevis resolutio eorum, quæ latus differuntur in controversia Parisi Antonii de Padilla, & in Tractatu P. Francisci Suares, de concursu, & efficaci auxilio Dei, ad actus liberi arbitrii necessario, circa quod tota fere controversia sita est.* Subscribere in primis Auctores, tum ejusdem Societatis suffragatores, in hunc modum.

Antonius de Padilla, Professor Theologie.
Franciscus Suares, Professor Theologie.
Antonius de Rueda, Theologie Professor.
Christophorus Gobos, Theologie Professor.
Joannes de Salas, Theologie Professor.
Prudentius a Montemajor, Theologie Professor.
Gaspard de Mena, Professor Scripture Sacre.
Serry Tom. I.

Rodericus Arias.
Franciscus de Galarça.
Joannes de Funes, Theologie Professor.
Emmanuel de Refas, Theologie Professor.
G. H. de Ormasas.
Ludovicus Muno.
Gaspard Morus, Professor Theologie.
Ferdinandus de la Cerda, Rector Matimensis, & Professor Theologie.
Franciscus de Solorzano.
Franciscus Labata, Rector Abulensis.
Joannes a Montemajor, Professor Theologie.
Rodericus Cabredo.

Accessere Provinciæ Toletanæ Patres die 10. Decembris 1592. edito tractatu, sub hoc titulo: *An necessaria sit talis Gratia præveniens, cui homo resistere non possit?* Subscribere, ut sequitur.

Ludovicus de Gusman, Rector Collegii Complutensis Societatis Jesu.
Gabriel Vasques, Publ. Theol. Professor in Coll. Comp. Soc. Jesu.
Ferdinandus Luzero, Theologus Soc. Jesu in Collegio Complutensi.
Christophorus de Castro, Sac. Litterarum Interpres in Coll. Compl. Soc. Jesu.
Millianus Garfia, Theologus Societ. Jesu in Coll. Compl.
Petrus Arrubal, Theol. Prof. in Coll. Complutensi Soc. Jesu.
Joannes Rosos, Theologus Soc. Jesu in Coll. Comp.
Ludovicus Turrianus, Theolog. Soc. Jesu in Coll. Compl.
Joannes Gasias, Rector Coll. Matritani Soc. Jesu.
F. Didacus ab Avellaneda, Doctor Soc. Jesu.
Petrus Ribadeneira, Theologus Soc. Jesu.
Egidius Gonzales, Theologus Soc. Jesu.
Joannes de Fiquenza, Theologus Soc. Jesu in Coll. Matritensi.
Sebastianus Alez, Theologus Soc. Jesu.
Bartholomæus Peres de Nueros, Theologus Societ. Jesu.
Joannes Dies, Theol. Societ. Jesu in Coll. Matritensi.
Petrus Antonius, Theologus Soc. Jesu.
Christophorus de Collantes, Theologus Soc. Jesu.
Alphonfus Ecuero, Theologus Soc. Jesu.

Theologi Societatis Collegii Cordubensis suam quoque sententiam scripto tradiderunt, in qua quæstionem agitant, *De Concursu Gratie efficaciæ respectu actuum supernaturalium liberarum.* Subscribere.

Ignatius Zannes, Theologie Professor.
Luisius Alcazar, Professor sacre Scripturæ.
Petrus Avegas, Theologie Professor.
Ferdinandus Davila, Professor Theologie.
Franciscus Cluerte, Professor Theologie.

Theologi Societatis Collegii Hispanensis sententiam dixere dato scripto, quo agitur disputatio, *De necessitate Gratie divinæ.* Subscribere.

Melchior de Castro, Professor Theologie.
Joannes de Pineda, Theologie Professor.
Augustinus Lopes, Professor Theologie.
Didacus Ruiz, Theologie Professor.
Diego Alvarez, Theologie Professor.

Theologi Societatis Provinciæ Aragoniæ Opusculum obtulere sub hoc titulo: *Summaria Informacion para los Señores Inquisidores, de la doctrina, que en las Escuelas se ensenna, acerca del Concursu.*
I

(1) Vide Cap. 23. (2) Quæst. 1. Cap. 6. (3) Fulig. lib. 3. de vita Bellar. cap. 5. & ult.